



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

ver. 7.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82999](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82999)

Quarta interpretatio. Quicumq; Deo offert, quod est dandum parentibus, immunis erit à peccato.

Quinta. Munus quod pro me offerre consueuisti, pro te offer, tibi proderit.

Sexta. Genus esse iurisiurandi. Per corban iuro, si à me inuaberis: itaq; impium iuramentum seruandum esse Pharisei docebant. Hanc multi recentiores sequuntur, quā nonnulli sic exponunt, Voti reus ero, vt Deo Corban offeram si te inuero, atq; ad omnes, deinde parentū preces religione voti præteritā obsiduisse.

Impium iuramentum.

Atias Montanus in traditionum libro expressè posuit dicit, si quis iuravit nolle parentib; se auxilio esse, iuranti religione teneri, addit etiam Deo vouere solitos debita desperata, quod sine dubio fœdum erat diuinitatis ludibrium. Iosephus libro 1. aduersus Appionē meminit iuramenti Corban. admirabile est, quod Barchinensis ait in libro *מגילת תענית* votorum, à Thalmudicis scribi, Boni à aliqua Deo consecrari posse, tantummodo vnius alicuius respectu, ita vt ipse illi vt sine sacrilegio non possit, quamuis alij possint: atq; ita facile apparet, quanto legis contemptu bona sua Deo vouerint, non absoluit, vt ipsi, & liberi eorum, atq; amici illis vi non possent, sed tantum ratione parentū, ne eos honorare possent.

Parentum cura sacrificio prior.

§. 2. Speciosa videbatur ratio, quā Deus homini, pater æternus & optimus peccatorib; parētibus præponebatur, sed contra Dei legem nulla valet argucia; auaritiæ verò artes illæ fuerunt. Nam voluntaria necessarii cedere oportet. Patentium honorem seuerā lege Deus sanxit, sacrificiorum liberalitatem ex illis esse voluit, quæ nullo alio titulo, vel parentibus, vel alijs deberentur. Viua enim Dei templa lignis & lapidibus præferenda sunt. Eruditè exponit hoc Caietanus. Non quidem plurius esse pietatem erga parentem, quam religionem in Deum, res tamen ipsas ita debitas pietati ex ordinatione diuinā, vt ad religionis vsum non debeant transferri: lex enim Dei supernaturalis ordinem naturalem tuetur. Hinc necessaria corpori detrahenda nō sunt, vt sacrificio sumptus suppetant; quin etiam sacrificia & res Ecclesiæ in necessitate vitæ seruandæ, sunt impendendæ. Itaq; obijcit illis Dominus: *in uoluntate, irritum se. istis mandatum*, omnem illi vim, auctoritatem derogare conati estis, vt vestram traditionem stabiliretis.

Crudelitas scribarum.

§. 3. Pharisei in hac traditione sua emolumenta quærebant, nec enim, cum essent, vt scriptura docet, auari, tam improbam legem, qua Dei mandatū abolerent, sine spe cōmodi tulissent. Hoc igitur agebant, vt sacrificiorum sanctitatem & dignitatem in immensum extollendo, victimarum, & donariorū multitudinem sese & sacerdotes locupletarent: nam & ipsi pleriq; sacerdotes erant, aut sacerdotum & leuitarum in acquirendo actores & adiutores: quod si tanta erat sacrificiorū dignitas, vt etiam eorum causa parentibus negati possent alimenta, de ceteris facilis erat contestura: communes etenim pauperes negligere minus græue videbatur, vt sumptus in sacrificia suppeditarentur. Omnem igitur *עוֹפְרָיִם*, amorem, eleemosynam, humanitatem, commentitiā sanctitate euertebant, nisi quod & ipsi pleni iniquitate & rapinā ad conciliandam famam eleemosynas interdum largiebantur. Inducta est illa barbaries in mores Iudeorum ex vicinā gentilitate, quæ in Deos suos profusa, pauperes crudelissimè negligebat, vt cogerebantur se vel ad gladium vel bestias auctorare, qui seruos reijctulos exponebant, & ægros.

Ex gentibus oria.

VERSUS 6.

Et non honorificabit patrem suum
aut matrem suam: Et irritum se-

cistis mandatum Dei propter traditionem vestram.

QUESTIO I.

Quomodo legem Dei transgressi sunt propter huiusmodi traditionem?

§. 1. **D**uplici argumento aduersarios Christus confutat, ac reijcit. Primum est per rōd *ἀντισπέν*, quo vicissim Phariseos grauioris criminis acculat, nō autem discipulos excusat. Sic enim in eos accusationē retorquet. Discipuli transgrediuntur traditionem seniorum *τῶν πρεσβυτέρων*, hoc est, hominum, qui in homines potestatem non habuerunt, qui quamuis seniores sunt, nō tamen ius legis ferendæ habuerunt, quod est summi magistratus. At vos legem Dei æterni, conditoris vestri, atq; ad eam legem à naturā insitam, de colendis parentibus, per traditionem vestrā violatis, & quasi contrariā lege abrogatis, & refigitis. Præpositi igitur censores iudicesq; lederis, humanarum traditionum vindices, diuinæ legis impij contemptores. Ab illis autem diuinam legem per traditionē tolli docet, v. 4. 5. & 6. Deus enim iussit honorare patrem & matrem: illi prætextu pietatis parentes deferere docebant. Ad indignitatem verò rei ostendendam non dicit traditionē seniorum, sed vestram, quasi eos auctores faceret, qui necessitatem in illis obseruandis finxerunt. Nam per *τῶν πρεσβυτέρων* non intelligo *τῶν παλαιῶν*, veteres seu p̄fci temporis homines, sed eos, qui nunc rerū potiebantur. Pari modo *ἡ παράδοσις*, quo verbo hic Syrus vitur, senem designat. Abulensis concilii sanedrini dici seniores arbitrat. Ita enim sapuaginta vocantur, n. 11. & 13. Deut. 17. Verumtamen nō videtur lex ea publicè & à magistratu lata fuisse; alioqui omnes obseruassent. Sed Pharisei ita tradidisse videntur, plurimiq; paulatim acceptasse, ita vt legis instar obseruaretur. Nō obseruasse omnes omnino constat ex illis, quos Christus pauci panibus. Ita Marci 7. particula *omnes* restringenda est ad eos, qui hanc traditionem sequebantur, cum esset ocalio. Cum ergo traditiones non sint à Sanedrino, vt etiam Beza testatur, sed Cabalistarum, quæ postea in Thalmud relatæ sunt: Eos enim vocabant *עפראי*. Ex quo apparet nihil contra leges Magistratum dici, sed scriptorum, & priuatorum traditiones repudiari, quod illis neglecta Dei lege inhereret.

VERSUS 7.

Hypocrita, bene prophet ait de vobis
Isaias, dicens:

QUESTIO I.

Cur vocet hypocritas ex Isaiâ?

§. 1. **H**ypocritas appellat, quod solis verbis Deum honorant, cor eorum longè à Deo abest. Inuidiā reprehendebant discipulos, liuori tamen mista vanitas erat, reprehensione enim alienorum erratorum cōmendare se populo conabantur, veluti diuini honoris cupidissimos, quin etiam in lege Dei violandā illis artibus utebantur, vt gloriam Dei solius spectare viderentur, cum tamen suis commodis inhiarent, Dei gloriam contemptui haberent. Syrus suo more appellat, *acceptores vultuum*, quod speciem pietatis præfectorant, virtutem ipsam eiurent. Omnia autem scēnæ & populo tribuebant, vt solent illi, qui veri sunt hypocritæ, ex theatro & histroniā viuentes.

VERSUS 8.

Populus hic labiis me honorat, cor
autem eorum longe est à me.

QVA